

luntatis Dei gratiam requiri, quod eam publice Christiani peterent, non solum ad opus bonum exequendum, sed eriam ad boni cogitationem: nec id tamen, quod Massilienses negabant, ante annum Christi 529. definire voluisse: in ea- vero cunctatione Ecclesiæ consilium fuisse, ut exploraret, possent ne filii tritiore via, & faciliore ad sanitatem revocari, hoc est Ecclesiæ proposita consuetudine: sed eam tandem definitione opus esse censuisse, quod filios videret scien- tes, ac volentes in tanto lumine cœcutire: id ipsum factu- ram in Conceptionis negotio Ecclesiam Catholicam: consi- lium ipsius in hoc Mysterio colendo satis esse explicatum: id si Theologi pertinaces improbe pergent interpretari, eo denique perventuram, ut Mysterium definit. Nunc acu- men libellatoris in solvendo Picinini argumento videatus.

*Ad obiectum Picinini instigantis Pontificem, & deriden- tis Theologos, respondit primo Bellarminus, qui sibi idem ar- gumentum objecit tamquam ab hereticis illius temporis adin- ventum, ostendendo celebrationem festi Conceptionis non esse definitionem Mysterii, hisce verbis tomo 2. controv. lib. 3. cap. 16. fundamentum hujus festi præcipuum non esse Conceptio- nem Immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ. Qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso, quod Conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert mundo ejus memoria. Tunc enim primum habuimus certum pignus redemptionis; præsertim cum non sine mi- raculo ex Matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato con- ceptam. Ex quo clarissime constat, celebrationem festi longe diversam esse à definitione Mysterii.*

Sed Bellarmini testimonium hoc tempore afferre homini- nis est in pessima causa desperantis. Nam quid eum post Alexandri decretum viri talis, ac tanti juvare potest auctoritas? Scriperat hæc Bellarminus, diemque suum obierat, cum Alexander Septimus, proposita vetere Christi fidelium pietate sentientium, B. Mariae animam in primo instanti crea-